B. N. C.
FIRENZE
1160
4

MISCELLANEE
BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
VIII

1160 4

EXERCITATIO PHILOLOGICA
DE

CLIVO CAPITOLINO.

QUAM

DEO AUSPICE

SUB PRÆSIDIO

Clariſſimi Doctiſſimique Viri

D. JACOBI GRONOVII, JOH. Fr. F.

Græcæ Linguæ, Hiſtoriarum, & Eloquentiæ Profeſſoris.

Publicè defendet

GERARDUS BRANDWYCK, Dordr.-Bat.

Die Saturni proximo

Qui erit ante diem XVIII Cal. Majas.

Hora locoque ſolitis ante meridiem.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER, Academiæ Typographum. MDCXCVI.

Nobiliſſimo, Ampliſſimo & Generoſiſſimo Viro

D. D. JACOBO A MEEWEN AB HEINSBERG,

JC. Viro Conſulari, nomine Dordracenæ Urbis ad Ill. & Pot. Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ conſeſſum ſæpius Delegato, ut & ad Collegium claſſibus ornandis Roterodami conſiſtens, aggerum Wieldrechtanæ regionis Comiti, Cognato ſanctiſſima reverentia obſervando

hanc exercitationem

pignus æternæ pietatis ſuæ

Dicat & conſecrat

GERARDUS BRANDWYCK.

1160.4

EXERCITATIO PHILOLOGICA
DE
CLIVO CAPITOLINO.

I.

Quum ad ſacra, quibus initiandum me dedi, cuperem & ipſe tandem afferre aliquod ſi non ornamentum, at certe ſacrati operis diſciplinæ ſpeciem quandam præferens, morata me fuit non inopia rerum, ſed ipſa abundantia, quæ huc illuc reſpicientem ſæpe ad varia tranſilire compulit. Nuper vero, quum ſub oculos veniret Tabula in his oris cœlata, quæ geminam Capitolii Romani formam exhibens, advertebat me conſiderantem in parte ſtudiorum conſpectiſſima nunc quoque reſidere tantam diſſonantiam ac diſcordiam, deploravi fata, nec dubitavi cum Clariſſimo præſide aliquoties de ea re verba facere. His identidem magis incenſus ad examinanda

 iſtius

ſtius diſſidii momenta, etſi infirmior, nequivi tamen, quin iterum iterumque circa illud diſcurrens, ut ex Trans-Alpinis noſtris fere ab omni tempore, quo ſtetit & inclaruit, plurimi, hærerem ante omnia ad ipſum Clivum; cujus ardua, quo magis contemplari perſeverabam, eo vehementius urgebar ad conſcendendi niſum. Itaque ut forſan plura poſthac, ita nunc hoc agere liceat, ut ſi nobis ſuperandi ejus felicitas non contingat, certe clementiorem & æquiorem eum feciſſe ἐν αἰδοῖ τῶν μυθικῶν coner, id quod pro tempore ſatis erit.

II.

Quod ut bene digeſtum procedat; clivus a Gerardo Joanne Voſſio conſideratur, ut reſpondeat Græcæ voci κλιτὺς, quam Æoles pronuntiaverint κλιπὺς, atque ita ſit ἀπόκλιμα τῦ ὄρυς *devexitas montis.* Ita tamen, ut proprie magis de aſcenſu dicatur, unde & in gloſſis explicetur ἀνάβασις. Hæc quum edantur in præclari ejus viri Etymologico, dubito an ſic ab ipſo ſimpliciter ſcripta habere debeam, & non acceſſerit quædam aliena manus; quum omne iſtud, quod illic ſcribitur, non ſit ab ipſo profectum, nec poſſit tale videri; ſed totum incomparabilis Salmaſii in Plinianis Exercitationibus pag. 774; quem ſic ab eo deſcriptum eſſe mihi vix perſuadeo. Hujus igitur verba quidni hic quoque legantur, ſi nihil aliud, certe ipſius? *Ex Græco* κλιτὺς, *quæ* τὸ ἀπόκλιμα *montis notat*; *Æolice* κλιπὺς, *ut* ἀρτὺς *concordia & conjunctio*, *Æolice* ἀρπὺς. Sed primus animadvertit ad Feſtum Scaliger, cujus verba ſunt, *quin & iidem Græci* κλιτὺν *dicunt locum in vallem demiſſum, a quo Clitellas formarunt Latini.* Id ipſum in *Clitellis* quoque refert Voſſius.

III.

De quibus ut aliquid dicam: Equidem quum hæc vox inter Romanos inæqualis ſoli urbem incolentes exercita fuiſſe ſupponi debeat a primis eorum linguæ principiis, non poteſt in ejus origine admitti operoſa & ſingularis quædam literarum converſio, ſed ſimpliciſſima erit optima, & communiſſima. Hinc ſicut in iſta etymologiæ declaratione admitto mutationem Æolicam literæ τ in π; ita non bene concoquo, qua ratione ex Græco κλιπὺς fiat Latinum *clivus*. Etſi enim Voſſius idem ponat quoque faſciculum vocabulorum, in quibus illam mutationem fieri ſupponit, & litera π in vau conferatur; ea tamen exempla omnia non ſunt ſatis liquida, immo ne ipſi quidem prorſus probata, ut vel unum iſtud *vitulus* demonſtrat. & quid opus eſt, ſi inde derivare placet, κλιπὺς magis ſequi, quam κλιτὺς, quum aliud moneat κυρτὸς *curvus*? Etiam alia & molliore ratione, ſi iſtud primitivum veriſimile videretur, contemplari mallem, & τὸ *clivus* leniſſime conſiderari poſſet tanquam *clibus*, ut υ & β apud Græcos confunduntur: porro etiam literæ β & π in idem veniunt. Sed totum hoc diſplicet, ac retinent me alia exempla, ut longe diverſum ſtatuere debeam. Video enim Latinas voces, in quarum medio eſt v aut Æolicum digamma, deduci ab voce Græca, quæ quum ipſa iſtam literam ex ſe non habeat, in derivativo accipit ex Latiniſmo. Certe ita proveniunt λεῖος, *levis*: αἰὼν *ævum*; ὠὸν *ovum*: ὄϊς, *ovis*: βιῶ *vivo*: κόραξ *corvus*: λόω *lavo*, ἐλαία *&* ἐλάα *oliva*: Δᾶος *Davus*: νέος *novus*: ita certe κλαὶς Dor. κλαῒξ *clavis*: & quæ ſimilia multa exſtant collecta ab Caninio & aliis.

IV.

Non alia ratione mihi imaginarer vocem noſtram formatam eſſe, & ad Latinum ex Græco tranſiiſſe, niſi fallor, ab illa ipſa ſede, unde petitum eſt ex allegatis poſtremum ſpecimen, ſcilicet ab verbo *κλείω*; unde utrum in ipſius Græciæ ſermone, an apud Romæ vicinam aliquam Magnæ Græciæ portionem *κλῖος* exſtiterit, ſicut dicere nequeo, quum in reſiduis fragmentis nihil tale quod ſcio exiſtat, opinor tamen ex aliquo ejus angulo ab Latinis *clivum* petitum eſſe, qui clauderet viam aut vallem, aut regionem, aut Imperium, aut viſum, prout in ſingulis his conſiderari montes colleſque limitum inſtar ubique legimus. & clare nota ſunt ex Herodiano *ὀρῶν περιβλήματα*, quibus Auguſtus *ἔφραξε τὴν ἀρχήν*.

V.

Hæc igitur vox quum inter Latinas allecta eſſet, præbuit ingenio utentium non modo proprietatem ſuam, ut tam intra quam extra Romanam urbem uſurparetur de aſcenſu collium, ſed etiam deliciis tranſlationum inſerviret ſcribente Salmaſio (Gloſſæ *clivus ἀνάβασις*. Inde proverbium *adverſus clivum equum agitare*, id eſt contra aſcenſum, in quo laborant equi. Ovidius *in clivo noſter ſæpe laborat equus* de re ardua & difficili quæ enitenda eſt. Plautus *adverſus clivum te quadrupedem agitabo*. Et apud Petronium *in clivo ſudare*) quæ eadem habet Voſſius, ſed auctius per iſta (Ovid. in Epiſt. *Clivo ſudamus in uno*. Hinc *Clivius*, id eſt, *arduus*. Feſtus. *Clivia auſpicia dicebant, quæ aliquid fieri prohibebant. Omnia enim difficilia clivia vocabant, unde & clivi loca ardua*) ubi aut videtur Feſtus ſcripſiſſe *ut &*, aut voces Feſti ita debent intelligi, nec merentur

Voſſii

Voſſii reprehenſionem, qua recorrigit. Ad Varronem Scaliger addit *clivias aves*.

V I.

Sed non ſatis bene hæc ſuis locis ac proceſſuum articulis dividi videntur. Nam ut *clivius* notet difficilem, non ob iſta clivia & prohibentia auſpicia fiebat. Sed neque vice verſa. Verum ubi ſemel *clivus* in Romanam linguam recipi meruit; hinc omnia non in eodem æquo & plano directa dixerunt per id vocabulum, quomodo Ovidius in alis Dædali ſic fictis ab artifice *poſitas* ſcribit *in ordine pennas*

A minima cœptas, longam breviore ſequente,
Ut clivo creviſſe putes. Sic ruſtica quondam
Fiſtula diſparibus paulatim ſurgit avenis.

Sicut etiam Scaliger hunc Ovidii locum ad Catulli cicutam attulit in comparationem. Hoc igitur & in geſtu quum volarent aves, illi qui auſpicio vacabant, inde appellarunt *clivia auſpicia*, in quibus forma clivi ab volantibus exprimebatur, cui formæ deinde ſua interpretatio ab rerum iſtarum præſtitibus fuit appoſita.

V I I.

Verum manſit præcipue proprietas ejus, ut ipſi terrarum poſitioni applicaretur, quæ omnino non æqua & plana Romæ contigerat; hinc & diverſi illic clivi. Talis ab Donato animadvertitur clivus Publicus ſeu Publicius ex Livio, Varrone, Ovidio, *ſacræ viæ* ex Varrone, Horatio, Martiale, *Suburanus* ex Martiale l. 10 19. dicente *altum tramitem Suburæ*. Ex Varrone *Victoriæ*. Sed præter hos annotatur Nardino *clivus Cinnæ* ex inſcriptionibus, ex quibus etiam in ſuburbio *Martis*. *Pullius* ex Solino c. 1. *Scauri* ex Gregorio. *Orbius* ex Feſto, & prope urbem *clivus cucumeris*,

item *Urſi* ex martyrologiis. Sed uſu & famâ ſupereminuit ille, de quo agere conſtitui, Capitolinus ab illuſtri, in quem ferebat, loco ſic cognominatus.

VIII.

Ita enim deprehendimus rem natam, ut quum antiquitus Collis ille, mox Capitolinus dictus, ſpatii ſui longitudine ab occaſu in ortum porrecta ſeparet vallem, cujus facies mox in forum Romanum mutata, & campum, poſtea quoque Martium appellatum, vel horrore lateris iſtius, vel ut videtur cautelâ ipſorum Romæ recentis civium emunitus, non permiſerit adſcenſum aut deſcenſum in ſubjectum iſtum campum, ſed tantummodo verſus urbem. Itaque non legimus inde ab parte campi aut aſcendiſſe aut deſcendiſſe: ſed ſtatim ab urbis initio, tenentes arcem Sabini, quum Romanus exercitus campum inter Palatinum Capitolinumque colles compleſſet, ſubiretque in adverſum, fuderunt eum toto, quantum foro ſpatium eſt, ad veterem portam Palatii, ut narrat Livius, I, 12. Nec id tantum inde colligitur, ſed & ex ipſa in unam urbem conjunctione Palatini & Capitolini collium, unde frequentium itionum huc illuc exiſtebat cauſa, quæ ſine complanatione itineris, etſi rudiore & agreſtiore, quam ipſe creber inceſſus adjuvit, non admodum commode peragebantur. Et ſicut hic ſtatus videtur obtinuiſſe ſub Regibus, eundem quoque fuiſſe patet ſub initium Reipublicæ in conatu infauſto, ſed ſatis audaci Herdonii Sabini apud Livium III, 15. quum in ipſo occupationis pavore alii inter tumultum præcipites dicuntur in forum devolaviſſe, & Romani Valerium ducem ſecuti in clivum Capitolinum erexiſſe aciem.

IX.

Cæterum, quum id quod prius tetigi de Sabinis, ut occuparent iſtum collem, contigerit ductu T. Tatii, Romulus autem ad opinionem apparatus & adventus ejus legatur τὸν Καπιτωλῖνον poſtea λεγόμενον λόφον ἀποταφρεῦσαι καὶ χαρακώμασι καρτεροῖς περιλαβεῖν in Dionyſio II, 40. patet non incondite per totam longitudinem patuiſſe deſcenſum, qua quiſque vellet, aut temere ferretur; ſed ut certi quidam portarum exitus emitterent in certos quoſdam tramites plures ſive unum verſus ſubjectam vallem, quæ in forum converſa fuit. Adeo ut paulatim incipientibus Romanis etiam domos exſtruere tum in ſuperna montis parte, tum in declivi ejus latere, hoc tamen cautum fuiſſe videatur, ut ſi non plures recti adſcenſus, certe unus omnino vacuus relinqueretur, qui publicus eſſet. Unde factum eſt, ut Livius citato loco, ubi Valerius recuperare Capitolium ab Herdonio nititur, jam clivi Capitolini ſine vituperanda prolepſi putaverit mentionem fieri ab ſe poſſe. At Donatus multo liberior ſuſtinet jam clivum hunc Capitolinum vocare in ipſa Romuli ac Sabinorum narratione dum ſcribit lib. II. c. 13 *Romanos à clivo Capitolino cepiſſe fugam, toto fori ſpatio fugiſſe*, quod ipſi relinquo. Quin etiam ita agit Livius in hiſtoria Herdonii, quaſi unus ille modo adſcenſus aut exſtiterit aut ab expugnatoribus fuerit electus, non etiam alius quicunque aditus. Verba Livii: *Hunc ducem ſecuti, nequicquam reclamantibus tribunis, in clivum Capitolinum erigunt aciem.* Nec multo aliter Dionyſius de his ipſis expugnatoribus ait πονήσαντες τὰς λόφους χωρῆσαι ἄνω κατὰ τὰς χειροποιήτους ὁδούς. In quo etſi uſurpet pluralem, videtur tamen ſingulari ſenſu velle

in-

intelligi ex ſequentibus, *ἣν δὲ αὐτοῖς ὑπὸ τοῦ πλήθους, ὃ παρὰ πολὺ τῶν ἀντιπάλων προεῖχεν, ὄφελος οὐθὲν διὰ στενῆς ἀνιοῦσιν ὁδοῦ καὶ πληθύσης προβόλων ἄνωθεν ἐπικαταφερομένων.* Quum quod tacet Livius & ſubintelligi ſatis indicat, in præcedentibus dicat Dionyſius *προσβολὴν γίνεσθαι πανταχόθεν*, ſcilicet ut mox ſequitur, *οἱ μὲν ἀπὸ τῶν πλησίον οἰκιῶν ἀγγεῖα πίσσης πεπυρωμένης ἐπέβαλον· οἱ δὲ συμφοροῦντες φακιόλους φρυγάνων καὶ παρὰ τοῖς ἀποτόμοις τῆς πέτρας βωμοὺς ἐγείροντες ὑψηλοὺς ὑφῆπτον.* &c. Immo quaſi iſte deſcenſus aſcenſuſque jam lectus fuiſſet illo tempore, quo Saturnus arcem ſuo nomine illic Saturniam conſtituit, ſcribit Anonymus auctor originis gentis Romanæ: *Ædes quoque ſub clivo Capitolino, in quo pecuniam conditam habebat, ærarium Saturni hodieque dicitur.*

X.

Illa tamen omnia quæ dixi Livius exprimere ſupervacuum putavit, quia ſatis erat probabile Romanos omnia feciſſe, ut diſtraheretur hoſtis, & quantum in ſe eſſet, non paſſuros, ut poſſet ſuccurrere omnibus. Cæterum ex his quod volo, apparet omnia ab parte fori extitiſſe, nihil ab Campo Martio. Et ab hoc tempore atque iſta Liviana hujus clivi mentione nihil in eo accidiſſe, quod ſcio, legimus, niſi ut anno V. C. 579. ab cenſoribus Q. Fulvio Flacco, A. Poſtumio Albino demum fuerit ſilice ſtratus, ut toto tempore antea non niſi terrenus & agreſtis fuerit limes.

X I.

Iſte igitur eſt ille clivus, quem dum animo contemplari cupiens, omnia, quæ licet, Romanæ Muſæ nemora ſedulus luſtro, moleſtia mihi creata eſt major fere, quam ipſis olim Romanis, dum ſcandere eum & depellere inde hoſtem moliuntur; quam

recte

recte inſpiciens, video redigi ad tria potiſſimum capita; nempe ubi ille fuerit: *ſecundo* utrum gradibus an plano aſcenſu fuerit. *Tertio* rectuſne inceſſerit, an habuerit anfractuum aliquot intervalla, & interciſus fuerit.

XII.

Quod primum poſui, clare ſatis exponit Juſt. Rijcquius in præclaro ſyntagmate de Capitolio cap. 34, ubi ab eo exiſtimatur dictus foro Romano ab æde Veſtæ præ Concordiæ templo centum gradibus ad rupem Tarpejam protenſus. Sed hanc mirificam & infauſtam confuſionem non eſt, quod quis tractet ad ſanandi ſpem, & vitioſitatem oſtendit Alex. Donatus lib. 11. cap. 8 Nequaquam certe intelligo, quemadmodum vir ille doctiſſimus eam ſemitam ducere potuerit, quum in loco Varronis ab eo citati non dicatur, quum ex æde Veſtæ everritur ſtercus, id ſtatim recidere in clivum Capitolinum; ſed quo die everritur, ſolere deportari per Capitolinum clivum in locum certum, ut illic collectum denique ſimul deportaretur; quaſi interfuerit aliquid viæ vel angiportus inſtar. Itaque nihil ad poſitionem clivi Capitolini ædes Veſtæ. Non etiam Plinii verba ſatis bene perpendit.

XIII.

Longe alia his ſtatuunt Marlianus & qui merito, ut dixi, Rijcquium rejecit Alex. Donatus, quum lib. 11 cap. 8 ſcripſiſſet clivi, qui ob dignitatem locique frequentiam & celebritatem (imo ob poſitionem in iſto monte) Capitolinus eſt dictus, quo hodieque recta aſcenditur ab arcu Septimii. Idem repetit in cap. VIII dicendum eſſe clivum Capitolinum fuiſſe, qua aſcenditur ab arcu Septimii Severi in Capitolium. Ut

locum per hæc verba adſignat conſpicuum & inferius initium certo & claro terminat fine, ita de ſuperno ejus capite loquitur aliter. Nam quum in cap. XI. citaſſet verba Livii de Gallis, ait [eo loco apparere clivum non fuiſſe extra dorſum montis. Quum enim, addit, omnia in urbe, præter Capitolium, eſſent in Gallorum poteſtate, liberum tamen illis non erat per clivum excurrere; totus ergo clivus extra Capitolii munimenta non erat.] At vero liberum quidem id erat Gallis, ut poſſent arbitratu ſuo in eo progreſſu uti; ſed non tutum, ſed aliquod miſſile a remotioribus exſpectare oportebat, aut gladium ab illis, qui cominus aderant. Itaque Romani exiverunt munimentis ac muro Capitolino fere ad medium clivum; eo uſque permittentes hoſti, ut ſcanderet: illic venerunt ei in manum, ut putabant & experti etiam ſunt, loco ſuo. Omnino igitur clivus finitus fuit in foribus Capitolii, fuitque totus extra dorſum montis, & tantum in latere. Interim loci deſignatio apparet.

X I V.

Id vero totum rejicit Nardinus, & validiſſima contentione magis verſus Tiberim & occaſum revocat hunc clivum, ut cujus initium fuerit prope valetudinarium Conſolationis, ubi olim Milliarium aureum in Capite fori ſteterit, ac prope templum Saturni; unde incipit ejus argumentatio quadruplex contra Marlianum, quæ apud illum videri poteſt. Nobis ſufficit imbecillitatem ejus explanare. Quicquid enim dicitur de templo Saturni, id certe ab Varrone poni *in faucibus* fori omnino apparet, non clivi Capitolini, quum hic nullas fauces habuerit. Et quum dicit Cicero, *præſidia in foro, & circa omnes fori aditus Pompejus*

pejus diſpoſuit, ipſe pro ærario conſedit, apparet eum dicere, quum ſecurus eſſet fori & omnium aditu[um] ejus, in iſto aditu, ad quem Saturni erat templum, quaſi plus de eo metuens, ipſe præſedit, ut præſens plane eſſet. Hinc igitur & reliqua loca componenda. Quod ſecundum profert, certe nihil intererat triumphantium, quo loco eſſet carcer, & poterant flectere in Capitolium, etſi captivi multo ſpatio inde abducerentur ad necem. Hoc poteſt illi donari contra Marlianum. Sed tamen quum conſiſteret pompa, & exſpectaret audire verba ſolennia *vixerunt hoſtes*, probabilius eſt non inde remotum valde fuiſſe locum ſupplicii: loco quidem Ovidii ex lib. 1 Faſtorum abutitur, quum illic loquatur Janus de prima Romæ infantia, quaſi τὸ *velut nunc eſt*, notarent arduitatem clivi etiam poſt DCC. annos, & quantopere arduus etiam fuerit olim, Romani eum nequiverint interim mollire aut noluerint. Nec minus abutitur loco Dionyſii; erat enim via anguſta, reſpectu latitudinis aciei, qua eniti in illum cupiebant Romani. Ab arcu Severi quod dixit Marlianus, & ipſe tam in ſecundo quam in hoc tertio loculo argumentationis confutat, incepiſſe aſcendere triumphantes, ridiculum eſt, quum antequam ſtaret ille arcus, plurimi triumphi acti ſint. De loco arcus Tiberiani eſt mera ejus ſuſpicio. Plinii locus perſpicue indicat vel inter viam ſacram & clivum Capitolinum interfuiſſe partem fori Romani vel viam ſacram emiſiſſe quidem in forum, ſed ſtatim partem primam illic fori occupatam fuiſſe ædificio aliquo, ut ab ejus tergo etiam proceſſerit via ſacra recto fere ductu ad clivum, ut ſic & antica & poſtica illi ædificio appoſita intexerit Cæſar.

X V.

Non igitur audimus Nardinum, quum veriſſima ſit ſententia Alexand. Donati, ſed quam ſatis accurate inſpicere aut firme ſtabilire neſcivit, quum res ipſa & præſertim palmaria ad hoc verba Taciti eam comprobent, ex lib. III Hiſt. c. 71. *Cito agmine forum & imminentia foro templa prætervecti, erigunt aciem per adverſum collem uſque ad primas Capitolinæ arcis fores:* Quum enim ille lib. II cap. 2 hanc materiam inciperet aggredi, primas Capitolii fores ſcribit ab Tacito appellatas undique cinctas parietibus (quod non intelligo, & ſufficit utrimque & ex duobus lateribus fuiſſe) in capite clivi hujus noſtri, qui hodieque rectus aſcenditur ab arcu Septimii. Hæc quum præmiſiſſet, ait ſecundas fortaſſe cuipiam viſum iri, quæ in altero ſummo clivo erant, qui vicinior templo Jovis ad eandem collis partem, ubi nunc carceres, pertinebat. Hoc totum eſt proprium & peculiare Donati. Itaque in Tabula etiam aſcenſum, ſeu ut ipſe vocat clivum ponit juxta aſylum, & in eo duas fores, quum in clivo Capitolino ſolas has unas. Quæ quum ita conſtituat, attamen cap. XI verba illa Taciti ſic dilatando explanat, *Vitelliani cum per clivum ad primam uſque portam Capitolii aciem extendiſſent*, (quod nihil eſt, & voluit opinor *erexiſſent*) *repulſi ſunt ab hoſtibus egreſſis in tectum porticus. Mox incenſa porticu hoſtibuſque igne ſummotis ad fores venerunt in ſummo clivo poſitas & mox eodem igne combuſtas.* Et hunc ait ejus loci germanum ſenſum. Quem, quæſo, quis expediat?

X V I.

In quibus & multi committuntur errores. Neque enim in Capitolio ullus clivus ab antiquis & lingua

Romana fuit agnitus præter unum, quem Capitoli-
num vocant Auctores. Ipſe Tacitus reliquos non ni-
ſi *aditus* appellat in eo ipſo loco : *Tum diverſos Ca-
pitolii aditus invadunt.* Eadem cura Livii lib. v cap.
43. Gallorum *multitudo omnis in foro inſtruitur. In-
de clamore ſublato, ac teſtudine facta ſubeunt. Ad-
verſus quos Romani nihil temere nec trepide ad omnes
aditus ſtationibus firmatis, qua ſigna ferri videbant,
eà robore virorum oppoſito ſcandere hoſtem ſinunt. Quo
ſucceſſerit magis in arduum, eo pelli poſſe per proclive
facilius rati. Medio fere clivo reſtitere.* Et hæc quo-
que verba legit & allegavit Donatus lib. II cap. XI.
Hic Livius ſupponit aliquos illic aditus, prout in
cap. 41 fatebatur à Romanis in Gallos impetum fieri
potuiſſe ex arce aut Capitolio. Plinius in Panegyrico,
*aditus omnes, omnes gradus, totaque area hinc auro,
hinc argento relucebat.* Quæ & ipſa habuit ad manum
Donatus cap. VII. Sed nihil moratus omnia ſcribit
lib. iſto II cap VIII. p. 126. *Ex eo loco, cujus pars
aſylum tegebat, verſus ædem inferiorem Concordiæ,
ſecundus Capitolii clivus devexus erat.* Ibidemque,
per alium clivum. Pag. 132. *inter fines utriuſque clivi,*
& *à capite alterius clivi.* Cap. XIV. *Quod etiam ſer-
vatum eſt in duobus clivis, quorum in capite erant
conſtitutæ fores.* Item, *per anguſtum alium clivum &
Aſyli aditum voluerunt irrumpere.* Ita ſe ille fruſtratur,
nec ab alio, quam ab ſeſe videtur in hanc fraudem
conjectus, dùm verba Dionyſii Halicarnaſſei lib. II
cap. 16. κατ' ἀμφοτέρας τὰς συναπτούσας τοῖς λόφοις λα-
γόνας μεθόριον. aſyli locum, Latine reddit *Ab utroque
clivo* lib. II cap. 10 pag. 131. & propterea illic ſe-
quente pagina repetens & argumentans ſcribit *dex-
trorſum aditus alterius clivi (juxta verba Dionyſii,*

 Ab-

Ab utroque clivo condenſis ſeptus arboribus) *tum*, quum vulgaris interpretatio eum præiret *ab utroque latere*.

XVII.

Poſſemus ſtatuere, non ſi primæ dicantur fores, neceſſum eſſe, ut ſimul ſupponatur ſecundas fuiſſe. Plus vice ſimplici apud utriuſque linguæ auctores frequentata iſta vocis ejus mentio & conſideratio. Certe in Capitolio ſecundas has nemo appellat: multo minus ut fuerint viciniores templo Jovis. Sed ne detrectem æqua, fuerint ſecundæ fores. Magis omnino aberrat in ſequentibus, manifeſte exſerens ab ſe Tacitum non intelligi, quum ſcribit *Tamen quia arx preſſiore ſignificatione erat dexter Capitolii apex editus & abruptus, hic potius crediderim fuiſſe alterum circuitum murorum & ſecundas fores, quibus in editum aſcenderetur.* &c. hæc ille. At Tacitus dum narrat parum ſucceſſiſſe Vitellianis ad primas Capitolinæ arcis fores, ideo deinde diverſos Capitolii aditus invaſiſſe juxta lucum Aſyli & qua Tarpeia rupes centum gradibus aditur, ſatis oſtendit Capitolinam Arcem γενικῶς ab ſe conſideratam, ut complecteretur integrum montem, (perinde ut quum ante dixit cap. 69. *Sabinus in re trepida, quod tutiſſimum e præſentibus, arcem Capitolii inſedit.*) quum alioquin *arx* & *Tarpeia rupes* notent unum & idem in hoc loco; ut in iſta Taciti arce non ſit cogitandum de dextro Capitolii apice edito & abrupto. Quod miſereri debeo, quippeque ipſe jam ſic intellexerat Tacitum in capite primo, ubi ſcribit [quamvis autem ita diſtinguatur, frequenter tamen arx totum montem: item Capitolium eundem ſignificat. Tacitus: *Diverſos Capitolii aditus invadunt*, quam paulo ante *arcem Capitolinam* appel-

pellaverat] Sic quum in iſto loco ſecius agat, utique tamen neſcio quî primas fores non male videtur illic concepiſſe, ubi ſcribit. *Primæ itaque fores erant in capite clivi, mittebantque in aream ubi nunc equus M. Antonini: Secundæ vero, ubi hodie altis gradibus muro & porta munitis evaditur &c.* Has non moramur. Primas illas ſine dubio dixit Tacitus non reſpectu poſitionis ipſarum, ut non poſſent aliter conſiderari, neque vel tertiæ appellari; ſed ex conſideratione adventus Vitellianorum. Hi enim, ut hiſtoria refert, Vitellium ab infamium pactorum loco reduxerant in Palatium. Unde reverſi circa lacum Fundani cum Sabino & comitantibus eum armatis congreſſi ſunt; Rejectus Sabinus ita arcem Capitolii inſedit, & ſecuti Vitelliani circumdederunt cuſtodia. Qui ſive illic manſerint ſive per hibernum imbrem repente fuſum diſſipati nonnihil fuerint, certe ſequenti die Capitolium aggreſſos ſcribit Tacitus. Et Joſephus in fine libri V. ἁλώσ. de Vitellio ſcribit Διψῶν αἵματος εὐγενοῦς, ἢ στρατιωτικοῦ τὴν συγκατελθοῦσαν αὐτῷ δύναμιν ἐπαφίησι τῷ Καπετωλίῳ. Utique quum ex inſcriptionum repertarum loco colligatur lacum Fundani fuiſſe circa Quirinalem collem, certe & ea pars militum, quæ inde progreſſa eſt verſus Capitolium, ab ortu ſcilicet verſus occaſum, primum occurrit huic clivo; & altera pars ab Vitellio, ut credidit Joſephus, ex Palatio immiſſa, ſic per ſacram viam progreſſa, forumque ab ſiniſtra & imminentia foro tecta prætervehens, itidem feſtinat ad commilitones accedere & clivum Capitolinum, quem aſcendentibus primæ occurrebant illic fores Capitolinæ arcis, hoc eſt, totius Capitolii arcem Romanam conſtituentis, eaſque aggrediuntur. Neque enim dubitari poteſt, quin ut arces muris circum-

cum-

cumdatæ in acceſſibus habent fores, quæ claudi poſſunt, non apertos ſemper tranſitus; etiam in ipſo colle vel ſummo clivo, ubi erant muri Capitolium cingentes, quot aditus fuerint ad Capitolium, tot fores illis reſponderint.

XVIII.

Hinc etiam manifeſte ſequitur ſitum clivi Capitolini prorſus non fuiſſe alium, quam quem conſtituit Donatus. Hic enim primus omnino ad aſcendendum Capitolium, quo impetus Vitellianorum ferebat, acceſſus illis patebat ab ſacra via aut Quirinali colle radices Capitolii rectà petentibus; quod facere non poterant, niſi forum & imminentia illi ab parte Orientali templa prætervcherentur.

XIX.

Sic quum ipſa hæc hiſtoriæ illius pars iſtum clivi noſtri ſitum oſtentet; tum non minus manifeſte pars ſequens. Nam quum ab clivo irrumpere & fores illas Capitolii frangere non potuiſſent, non dicuntur erraſſe verſus orientem & partes Capitolii objacentes Quirinali, ſed verſus occidentem & unum iſtud latus Capitolii. Illic dicit Tacitus fuiſſe iſtos duos aditus, & quidem ita, ut propior vis ingrueret per aſylum atque ideo acrior; hoc eſt, quum in clivo res non procederet, pertæſi maxima pars abierunt inde ad alios aditus: quorum quum iſte per Aſylum eſſet junctior, eo & prius illic invaſerunt, & crebriores ingruerunt, quia omnes qui diſceſſerant ab clivo, quotquot poterant, hîc tentabant perrumpere; quum illi qui eſſent poſteriores ac ſerius acceſſiſſent, videntes ſe illic efficere nihil poſſe, loco illo commilitonibus relicto ulterius perrexerunt ad gradus rupis Tarpeiæ. Utique hunc progreſſum dictant clara narrationis Cornelianæ & hinc ipſius veritatis veſtigia.

XX.

X X.

Cæterum non debet indicta abire altera cavillatio Nardinii ſcribentis pag. 276. Da Ovidio nel quinto de Faſti ſi dice ſcoſceſo, & apertamente dichiara ſi, che per quello ſi diſcendeva dalla Rocca, Luoghi conſiderati, & apportati già dal Donati. Quum Donatus ex libro quinto Faſtorum non produxerit, niſi pag. 136 cap. XI hos verſus non de clivo Capitolino, ſed Aventino intelligendos.

Parte locat clivi, qui tunc erat ardua rupes,
Utile nunc iter eſt Publiciumque vocant.

Sed nec altera, quam mox ſequente pagina adjungit. Saliva ſi per il clivo alla Rocca, & era ſcoſceſo, e però non buono per i carri. Coſi dice Ovidio nel primo de Faſti.

Utque levis cuſtos armillis capta Sabinis
Ad ſummæ tacitos duxerit arcis iter.
Inde, velut nunc eſt, per quem deſcenditis, inquit,
Arduus in valles & fora clivus erat:

Extant lib. I Faſt. vſ. 261. Sed viri docti pro *tacitos* recte correxerunt. *Tatium*. Illos jam ſupra tractavimus; & nunc repetere debemus; Quippe non ita ex illis colligere licet, quaſi clivus demitteret ab ipſa rupe & ſummo montis culmine. Quid enim? ſi in eam partem clivus ceſſerit, an igitur & per clivum recepti ſunt Sabini? Hoc Nardinius ſcire non potuit; an de eo cogitaverit non aperit. Utique illud *inde* poteſt intelligi, non certi alicujus loci & partis deſignatio, unde erant recepti, ſed notare ab aliqua parte ejus montis, in cujus ſummam arcem fuerant inducti.

X X I.

Quod ſecundum retuli de ratione aſcenſus, etſi poſſet videri nullam operam flagitare, tamen debui

 hanc

hanc quoque partem labori meo deſtinare, tum quod Donatus in tabula, quam formavit, clivi ſolum perinde incidit obliquis lineis, quibus gradus deſignantur, ac per aditum ad Aſylum. Imo & l. 2. c. 8. in tribus, quæ ex Rycquii doctrinis illic adducit, alterum eſſe dicit, hos clivi gradus, quia proximi erant templo Concordiæ, appellatos Concordiæ gradus. Et ſane videtur illud fieri. Etiam Nardinius etſi aſcenſum juxta ſubſtructionem verſus arcem relinquat clarum & planum, tamen initia aſcenſus & ut in explicatione numerorum manifeſte dicit, clivi Capitolini poſt arcum Tiberii gradibus perinde interſecat & extollit, ut Scalas Gemonias & aditum ad Aſylum. Immo & aperte dicit pag. 278. intenda i cavallieri armati eſſer ſtati dietro al Tempio della Concordia ſu la prima branca del clivo ov' era la piazzetta, e preſſo i gradi, che dalla Concordia portavano a Moneta & alla Rupe Tarpeia, poſito etiam ad marginem breviario, il clivo e i gradi della rupe s'incontravano e s'interſecavano. qui profecto fuerunt nulli. Equidem Donatus quid viderit, verbis manifeſte expromit vel lib. 2. cap. 1, *tam Galli, quam Romani per clivum Capitolinum aciem direxiſſe dicuntur, nulla graduum facta mentione.* Ibidemque, *in confeſſo ſit triumphantem curru aſcendiſſe, non per ullos gradus in Capitolium.* Rurſus, *ego vero, ex his, quæ dixi, nullos a foro nempe gradus fuiſſe mihi perſuadeo.* Et idem tamen in illo ipſo capite agens cauſam Lipſii contra Rycquium ſcribit; *Cur ergo non diceret? Gradus a foro ad aream uſque Capitolinam fuiſſe minoribus retractionibus interſtinctos.* Quæ ſuppoſitio & conceſſio eſt inaniſſima. Immo recte Donatus negat fuiſſe gradus. Nam ſicut clivus Virbius & Publicius & ex ſacra via Palatinus

latinus fuit, talis quoque ſupponi debet Capitolinus fuiſſe. Per clivos autem illos vehicula traduci poterant. Nam de primo habes Livium lib. 1. *Cum Tullia ſe domum reciperet, perveniſſetque ad ſummum Cyprium vicum, ubi Dianium nuper fuit, flectente carpentum dextra in Virbium clivum, ut in Collem Eſquiliarum eveheretur.* De ſecundo Feſtus: *Publicius clivus appellatur, quem duo fratres L. M. Publicii Malleoli Ædiles Curules pecuariis condemnatis ex pecunia, quam ceperant, munierunt, ut in Aventinum vehiculi Veliâ venire poſſint.* Cæterum ex poſtremis Donati verbis videtur Nardinius originem captaviſſe concipiendi in clivo Capitolino iſtiuſmodi retractiones, quas & verbis deſcribit, & in tabula depingit, ſed a nullo veterum memoratas, nec ullius antiqui monumenti indicio firmatas.

XXI.

Ab his tamen exemplis non dubito etiam procedere ad tertium, quod poſui de ductu, utrum ille rectus proceſſerit, an per retractiones diſruptus & ſciſſus, hinc illuc & inde rurſum fuerit iſtuc abactus, quod multis propugnare conatur Nardinius, non ſecus ac ſi cum Hannibale in Alpibus verſaretur, ubi coactus ille fuit torridam incendio rupem ferro pandere & mollire anfractibus modicis clivos, ut ſcribit Liv. lib. XXI, c. 37. ſed ut opinor infeliciter. Nam cur de ſolo Capitolino id ſtatuit, non item de reliquis? Utique in hujuſmodi aſcenſibus montium ita circumductis non patet longinquus conſpectus. At ipſe Nardinius citat ex actis Martyrum. *Cœpit Pigmenius aſcendere per clivum ſacræ viæ ante templum Romuli vel Romæ, ecce Julianus procedens in Regiam aulam videns Pigmenium a longe per clivum venien-*

nientem. Nedum ut in equis decurrere potuerint Numidæ, quod in Publicio clivo eos feciſſe ſcribit Livius. Immo ſi continenter ſic proceſſiſſent identidem flexus, mirum eſt in proceſſu triumphantium non alium flexum notari, quam illum unum, quando de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, ut Cicero, vel ut Eumenius, cum in Capitolium currum flectere cœperunt. Ne dicam, quum Tacitus ita loquitur, *erant antiquitus porticus in latere clivi, dextræ ſubeuntibus*, per iſta ſupponi eum clivum recta fuiſſe eductum. Nam ſi ſtatuamus eum ſic in angulos recurvatum proceſſiſſe, ut fingit in tabula Nardinius, certe iſtud latus circumducitur admodum multifariam.

Sed ſuffecerit iſta commentari hactenus conſpectiſſimi loci memoria nos in curarum principiis alliciente, quæ bonis lætiſque ominibus publico committi auguror, certe opto.

CO-

COROLLARIA.

I.

Ab Sethidis erectas ante diluvium duas columnas fuiſſe credimus dicenti Joſepho.

II.

Recte idem Sabinam Poppæam vocat θεοσεβῆ.

III.

Optimo jure Patientiam Cæſaris Hadriani nummo apud P. Seguinum laudatam ſtatuimus.

IV.

IV.

Venetos ab Paphlagoniæ Henetis potius veniſſe, quam ab aliis veriſimile eſt.

V.

Aſſes unciales Romæ factos Hannibale urgente Marcum [Minucium] prout in Plinio edunt Pariſienſes, pro illepido & invenuſto habendum.

F I N I S.

Quam partem Nardiniani operis articulo XIIII. tetigi, eam quia liber ille non ubique in promptu eſt, inde excerptam ponere placuit.

Il Marliano ſeguito dalla caterva di quaſi tutti gli antiquarii, cliuo Capitolino dice eſſer ſtato la ſalita ancor durante, per cui dal campo vaccino, e dall' arco di Seuero ſi va al Campidoglio. I ſuoi motiui ſono i ſeguenti. Primo il tempio di Saturno poſto da Seruio ante clivum Capitolii juxta Concordiæ templum, *e da Varrone* in faucibus; *il qual Tempio di Saturno ſi ſuppone modernamente eſſere S. Adriano. Ma doue il vero tempio di Saturno foſſe pur' aſſai ho detto. Secondariamente ſi vale dell' oratione ſeſta di Cicerone contro Verre; oue de' Trionfanti parlando dice:* cum de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos *(i prigioni)* ducere in carcerem jubent, *e dell' antico carcere dura ancora il reſidua preſſo l' Arco di Seuero. Ma ſenza dir, che a i Trionfanti tornaua egualmente commodo nel piegar' il carro dal foro verſo il Campidoglio, da qualunque parte del Foro ſi comin-*

minciaſſe la ſalita mandare i prigioni a quella Carcere, tanto maggiormente, che dallo ſteſſo cliuo alla Carcere, foſſe pur' il cliuo da qual parte ſi vuole, era commodo il ſentiero, riſpondiamo, che conceſſo, che i Trionfanti paſſaſſero per l'arco di Seuero, non era iui il cliuo Capitolino. Saliuaſi per il cliuo alla Rocca, & era ſcoſceſo, e pero non buono per i carri: coſi dice Ovidio nel primo de' Faſti:

Utque levis cuſtos, armillis capta Sabinis
Ad ſummæ tacitos duxerit arcis iter.
Inde, velut nunc eſt, per quem deſcenditis, inquit,
Arduus in valles, & fora clivus erat.

Oue il velut nunc eſt *non alla ſola eſiſtenza, ma alla qualita eſpreſſa* arduus *hà relatione. Oltre alla ſcoſceſita, anguſto ci ſi predica da Dionigi nel decimo:* Et, qui fortitudine præſtant cæteris denſatis ordinibus per adverſum clivum, & viam manufactam in arcem tendebant. His nec numerus proderat, quo longe ſuperabant hoſtem, per anguſtam enim viam aſcenſus erat, &c. *La via de' carri de' Trionfanti all' incontro, come piu piacevole, & ampia, fu altra dal Clivo, e fu facilmente la terza, per cui all' Aſilo, come a luogo piu baſſo s' aſcendeua piu facilmente. Terzo dall' arco di Seuero fa il Marliano conſeguenza eſſer' indi ſtati ſoliti ſalire i Trionfanti; da che ſecondo la riſpoſta fatta prima ſi trahe il contrario in proua del Cliuo; ma v'aggiungo, che auanti al Cliuo Capitolino & al Tempio di Saturno fu l'arco eretto a Tiberio per le recuperate inſegne di Varo, ſicome gia prouai, il quale in minore ſpatio di* 200 *anni non potè eſſere affatto per terra, ſichè Seuero haueſſe poi campo d'alzarui il ſuo, & il dire atterrato quello nel tempo di Seuero a fine d'erigerui queſto, haurebbe del te-*

me-

merario , come temerario ſaria ſtato il fatto. Su la bocca dunque del Cliuo Capitolino fu l'Arco di Tiberio in un capo del fori, ſicome poi nell' altro capo, oue vn' altro imbocco era di ſalita , ne fu drizzato vn' altro a Seuero. Altri in fauore della mediſima opinione del Marliano ſi vale di Plinio, che nel c. 10 *del* 19 *libro ſcriue.* Cæſar dictator totum forum Romanum contexit, viamque ſacram ab domo ſua ad cliuum uſque Capitolinum. *Argomentandone, che eſſendo la via ſacra in faccia all' arco di Seuero verſo S. Lorenzo in Miranda, ben diceſſe Plinio da vn' eſtremo all' altro di quel lato tutto il Foro coperto di tende : ma all' incontro ſe quel lato ſolo della larghezza fu coperto da Ceſare, non potè dirſi da Plinio tutto il Foro coperto. Ben ſono eſtremi piu dimoſtratiui i due angoli Orientale , & Occidentale , de quali preſſo al primo, verſo S. Lorenzo era la via ſacra , preſſo al ſecondo verſo la conſolatione il clivo Capitolino. Coſi dall' vno all' altro angolo diametralmente oppoſti tutta la lunghezza , e larghezza del Foro ſi dice coperta. E che la via ſacra dal' Arco Fabiano, ch'era preſſo S. Lorenzo in Miranda, imboccata nel Foro paſſaſſe per lo mezzo di eſſo al lato Occidentale fino al Tempio di Veſta , e quindi al cliuo Capitolino piegaſſe già s' è detto.*

F I N I S.

99 36276

1160-1